N. Cornapœus
ex Herodot
Lib III













BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS



DELIBERATIO SAPIENTISSIMA DE CONSTITVENDA OPTIMA FORMA REIPVBLICAE, HABITA

post obitum Cambysis in Senatu principum Electorum regni Persici.

Ex tertio historiæ Herodoteæ libro Latinè conuersa.

Interprete
M. NICOLAO CORNAPAEO.



HAFNIÆ,
Imprimebat Laurentius Benedictus.
ANNO CIↃ IↃ LXXXII.

IN HENRICVM RANTZOVIVM EQVITEM HOLSATVM &c.

Epigramma ἐγκωμιαστικόν.



Vis non Alcidem nouit, quis nescit Achillem,
Nomina non ulla non memoranda die?
Et tamen hic medicam fecit feliciter artem,
Sanus ut Æmonia cuspide Mysus ait:
Ille polum ceruice tulit, cum sidera fessus
Amphitryoniadæ ferre dedisset Atlas.
Quid loquar amborum geminata laude celebrem,
Illustri HENRICVM stemmate Rantzouium?
Quem iuuat immenso spaciantem uiuere cœlo,
Et stellas oculis dinumerare suis.
Quiq; Machaonia caput extulit inclytus arte,
Naturæ scrutans omniparentis opes.
Macte noua uirtute heros: sic additus astris
Cœlifer est, semper uiuit & Æacides.

Gregorius Bersmanus professor
Acad. Lips. publicus.





GENEROSO AC NOBILI VIRO, EXCELLENTI VIRTUTE, ERUDITIONE, SAPIENTIA, ET AUtoritate illustri, D. HENRICO RANTZOVIO Equiti Holsato, serenissimi regis Daniæ &c. In ducatibus Holsatiæ, Slesuici, Dithmarsiæ præfecto atq; Consiliario, Domino in Bredenberg &c. Domino & Patrono suo honorando.

S. D.



Vantum momenti habeant sapienter scriptæ historiæ, ad instruendam vitam humanam insignibus variorum consiliorum & euentum exemplis: à multis, nobilissime D. HENRICE, cùm priscis temporibus, tum nostro æuo, sapientissimis viris animaduersum est. Cum enim duæ res sint, quæ omnia hominum sanorum consilia actionesq; præcipuè gubernent, doctrina videlicet, seu præcepta in philosophia & legibus honestis proposita, & illustria omnium officiorum exempla: illa quidem ex philosophorum libris, hæc verò ex diligenti historiarum lectione depromenda erunt. Ac conspectiora ferè sunt exempla, in illustri posita monumento, & efficaciùs mouent animos rudiorum, quàm nuda regendæ vitæ præcepta. Quare sapienter Diodorus Siculus Historiam benefactricem communis societatis hominum appellauit, cum sine historiarum lumine, & temporum descriptione, omnes insignes imperiorum mutationes, omnes sapienter institutas deliberationes, omnia præclara virtutum ac vitiorum exempla, & pacis atq; belli artes in tenebris iacere, & prorsus ignorari necessum foret. Idq; cum intelligerent viri sapientes & industrij, non illi modo, qui literarum studijs totos se tradidissent, sed reges etiam & principes fortunæ dignitatisq; amplissimæ: omnibus

nibus seculis historiarum cognitionem plurimi fecêre. Nam Philippum Palatinum principem sapientissimum tanto cognoscendarum historiarum studio flagrasse accepimus, vt Rodolphum Agricolam, excellenti ingenio ac eruditione virum, multa sibi & ex Græcis historijs vertere, & integram Monarchiarum seriem ex monumentis Ebræis, Græcis & Latinis contexere voluerit: vt memoria complecti tempora mundi, & præcipuorum imperiorum sedes ac successiones velut in tabella depictas contemplari posset. Ac similia exempla multa recitari possent magnorum regum, principum & Monarcharum, qui & ipsi historias scripserunt, & historiarum peritos in summo semper honore habuerunt, eosq́ amplissimis muneribus & præmijs affecerunt.

Certum est autem, post monumenta Prophetica, in quibus continua annorum series ab exordio mundi vsq́ ad Persicam Monarchiam singulari DEI beneficio conseruata extat, primum & præcipuum historicum, qui diligenti lectione euoluendus sit, esse Herodotum Halicarnasseum, cui tantum tribuit vetustas, vt parentem historiæ Græcæ appellauerit. Nam in eo ipso momento ferè, vbi finis est historiæ Propheticæ, suam exorditur, & vsq́ ad decimum annum Xerxis & memorabile prælium ad Platæas, continua serie annorum 230, deducit. Ac multa interim optimo suauissimoq́ orationis genere narrat, quæ cum historijs Biblicis prorsus congruunt, easq́ multis in locis mirificè illustrant. Deinde abundat mirandis exemplis mutationum in imperijs & regnis præcipuis, in AEgyptio, Medico, Persico, Lydio & Ionico, & multa recitat politica consilia & deliberationes grauissimas, quæ nerui sunt bonæ & felicis gubernationis. Multa etiam exempla continet virtutum & viciorum insignia, ac simul scelerum pœnas narrat, vt lectorem de iudicio diuino commonefaciat, & ad studium virtutis exuscitet.

His

His igitur de causis frequens & assidua historiæ Herodoteæ lectio ab omnibus, qui in aliquo eruditorum numero censeri cupiunt, suscipienda est. Ac vt de me priuatim dicam, fateor equidem me immortales gratias debere C. L. V. D. Dauidi Chytræo præceptori meo obseruando, quem cum ante annos sex in celeberrima Academia Rostochiensi audirem Chronicon Carionis Philippicum eruditißimè enarrantem, & simul Herodoti nomen creberrimis ijsq́ valde honorificis sermonibus vsurpantem: perfectum hac ratione fuit, vt mirifico quodam cognoscendæ historiæ Herodoteæ desiderio accenderer, eamq́ ex illo tempore (quantum quidem in hac ingenij imbecillitate, & per aliorum studiorum occupationes licuit) mediocri diligentia euoluerim, non tantum propter rerum cognitionem multiplicem, verùm etiam propter Græci sermonis natiuam quandam elegantiam & facilitatem, cuius studio me aliquam ætatis partem impendisse non diffiteor.

Extant autem in historia Herodoti, inter alia multa illustria omnium humanorum officiorum exempla, duæ sapientißimæ grauißimæq́ deliberationes, diuersis temporibus in Senatu regni Persarum habitæ: in quarum vna, sub lib. 7. pag.
Xerxe instituta, de bello Græciæ inferendo, in altera verò de 244.
forma gubernationis & optimo statu Reipub. sententiæ con- lib. 3. pag.
feruntur: vtraq́ sanè omnium eruditorum ac sapientum 122.
admiratione lectioneq́ dignißima. Vt enim de posteriori tantùm dicam hoc tempore: cum tres sint formæ regiminum, aut enim penes vnum summa imperij potestas est, aut penes optimates, aut penes populum: accuratißimè sanè in hisce tribus contrarijs orationibus singulæ examinantur, earumq́
vitia & morbi, seu vt Aristoteles vocat παρεκβάσεις τῶν ὀρθῶν lib. 3. polit.
πολιτειῶν *velut in speculo conspicienda proponuntur. Nam* cap. 4.
Otanes, qui primus suam sententiam dicit, reprehensa tyrannide, δημοκρατίαν *suadet: Megabyzus contrà, exploso statu*

 popu-

populari, ἀριστοκρατίαν laudat: Darius verò μοναρχίαν Reipublicæ vtiliſsimam fore cenſet, cuius ſententiæ cæteri quoq; aſſentiuntur.

Cum itaque hæc ſapiens & grauis deliberatio omnibus, qui magiſtratus gerunt, lectu vtiliſsima atque iucundiſsima ſit: offero eam tibi, nobiliſsime D. HENRICE, ſuperioribus diebus latinitate à me donatam, paulò vt ſpero dilucidius καὶ παραφρασικώτερον, quàm habet vetus verſio. Ac reuerenter & ſubmiſſè oro, vt hoc quicquid eſt muneris (tenuiſsimum enim eſſe ipſemet agnoſco, cùm propter temporis anguſtiam, aliaq; impedimenta plurima, alteram quæ in ſeptimo extat deliberationem adiungere, vti volebam, non potuerim.) benignè ſuſcipias, & voluntatem declarandi meam erga te obſeruantiam boni conſulas. Dabo enim operam, conatus pios adiuuante domino, vt ſi hoc officiolum noſtrum gratum tibi accidiſſe intellexero, maiora aliquando ſub ampliſsimi nominis tui patrocinio appareant, & huius munuſculi tenuitatem apud æquos æſtimatores recompenſent. Bene & feliciter vale vir nobiliſsime. Perſcript. Hafniæ 5. Calend. Maij Anno CIↃ IↃ LXXXII.

Nicolaus Cornapæus.



SAPIENTISSIMA DELIBE-ratio de constituenda optima forma Reipub.

Ex tertio Herodoti libro Latinè conuersa.



POstquam Cambyses Cyri filius, secundus Persarum Monarcha, qui multa nefanda scelera in intimos consiliarios suos, in germanum fratrem Smerdin, in sororem, in sacerdotes ac Deos ipsos crudelissimè perpetrauit, ex vulnere fortè à proprio gladio fœmori inflicto, cum ex Ægypto in Persiam reuersurus esset, supremum diem obijsset: Magi, qui regiæ arcis custodiendæ causa domi relicti erant, imperium Persiæ fraudulentis artibus ad se transferre conati sunt. Nam vnus illorum Smerdin Cambysis fratrem, de cuius cæde nihil dum Persis constabat, sese mentiebatur, quòd non solum eodem nomine, sed etiam externis lineamentis oris ipsum proximè referret: & sub hac ementita persona menses iam septem imperium tenuerat. Sed fraude tandem per aliquot indicia detecta, (ipse enim, præterquam quòd arce nunquam egrederetur, nec proceres regni in colloquium admitteret, etiam auribus carere deprehensus erat, & à Prexaspe Magum regnare, non Smerdin Cyri filium, publicè proclamatum fuerat.) conspirârunt in necem eius septem è primoribus Persarum, in libertatem vindicaturi regnum Persicum, videlicet Otanes, Aspathines, Gobryas, Intaphernes, Megabyzus, Hydarnes & Darius. Re itaq; sapienter deliberata, cum in arcem hi Septem viri peruenissent, & quidem in illud ipsum conclaue, in quo Magi morabantur, facto acerrimo conflictu, vtrumq; Magum interfecerunt, & mox reliquis Persis, ostentantes Magorum capita, rem omnem exposuêre. Quibus adeo approbatum est hoc præclarum Septem virorum facinus, vt ipsi etiam

Hæc sparsim narrantur libro tertio.

etiam arreptis pugionibus, in obuios quosq; Magos impetum facientes, quotquot possent confoderent: & nisi nox superueniens illorum retardasset vehementiam, ne vnus quidem Magus superstes remansisset. Et hunc quidem diem Persæ præ cæteris omnibus solenniter colunt, & in eo ingens Festum, cui à cæde Magorum μαγοφονίασ nomen est, publicè celebrant: quo die nulli Magorum in publicum prodire fas est, sed domi se continent Magi, donec is transactus fuerit.

Elapsis autem diebus quinq;, cum resedisset tumultus, in deliberationem illi Septem viri, qui Magos oppresserant, rem omnem vocauêre: ac dictæ sunt orationes, quæ etsi parum fidei apud nonnullos Græcos habeant, dictæ tamen fuerunt. Otanes quidem hortabatur, in medium vt Persis rerum summam deponerent, in hanc sententiam verba faciens.

Vt in posterum tempus, vnus è nobis solus rerum potiatur, non videtur mihi consultum, quòd nec iucundum illud sit, neq; salutare. Vidistis enim ipsi, quò se extulerit immanis improbitas Cambysis, & Magi improbitatem experti estis. Ac quomodo quæso vel fieri possit, vt in Monarchia res benè sint compositæ, in qua quæcunq; collibitum sit, impunè licet agere? Quæ res virum etiam optimum, si hanc nactus sit dominandi potestatem, à consuetis animi sensis dimouerit: siquidem bona quibus circumfluit, insolentem ipsum iniuriosumq; efficiunt, & inuidentia verò à prima iam origine homini innata est. His autem duobus si quis laboret vitys, nihil ipsi ad om-

nem

nem malitiam videtur deesse. Partim namq; ex insolentia, satur rerum omnium, multa improbè designat, partim ex inuidia: cum tamen virum principem, vt cui omnium bonorum copia suppetat, inuidiæ morbo laborare minimè oporteret. Verùm accidit plerumq;, vt ille contrario modo se erga ciues suos gerat. Nam & optimis quibusq; inuidet, quamdiu superstites illi huius lucis vsura fruuntur, & delectatur pessimis. Calumnijs quinimò aures præbere patulas, res ipsi optima videtur. Et quod omnium est maximè inconcinnum, si mediocri eum obseruantia prosequaris, molestè fert, quòd non impensè colatur: sin impensè quis eum colat, itidem molestè fert, assentationis concepta suspicione. Ac vt illa tandem quæ grauissima sunt, dicendo exequar, leges & statuta à maioribus accepta mutat, mulieribus vim affert, quos ipsi collibuerit, indicta causa damnat. Cum autem multitudo dominatur, primum quidem nomen omnium pulcerrimum habet, videlicet iuris ex præscripto legum æquabilitatem: deinde verò nihil perpetrat eorum, quæ Monarcha. Nam & sortitò magistratus gerit, & rerum à se administratarum rationem reddit, & consultationes omnes in commune refert. Quamobrem ego hanc sententiam dico, repudiato vnius dominatu, multitudinem nos euecturos esse, in hac enim insunt vniuersa.

Et hanc quidem ſententiam Otanes in medium proponebat. Megabyzus autem, vt paucorum poteſtati ſumma rerum permitteretur, hac oratione hortatus eſt.

Quæ de abolenda tyrannide dixit Otanes, eadem & à me dicta ſunto: quòd autem multitudini iuſſit imperium deferre, in eo ſanè ab optima ſententia aberrauit. Nihil enim inepta multitudine ſtolidius eſt, nihil inſolentius. Et res verò minimè toleranda eſt, dum tyranni inſolentiam fugimus, in effrenatæ plebis nos incurſuros proteruiam. Ille enim ſi quid committat, intelligens hoc facit: ſed plebi ne quidem vt intelligat, contingit. Quomodo enim intelligat, qui nec edoctus eſt, nec nouit vllum honeſtum officium, ne domeſticum quidem? quiq; ſine ratione irruens, inſtar fluminis hyberni, ſtatum Reipub. perturbat? Quare ſi qui malè conſultum Perſis cupiunt, illi popularem ſtatum introducant: Nos autem collegium virorum optimatium deligemus, quibus imperium committamus, inter eos enim & ipſi locum habebimus. Conſentaneum eſt autem, optimorum virorum optima exiſtere conſilia.

Atq; hæc ſententia à Megabyzo in medium eſt allata: poſt quem Darius tertiam propoſuit, ad hunc modum.

Mihi verò quæ Megabyzus dixit, quatenus ea ſtatum popularem ſpectant, rectè ille quidem dixiſſe videtur: qua autem parte nos ad confirmandum dominatum paucorum hortatus eſt, non item. Si enim

tres

tres ſtatus nobis proponamus, eosq́ optimos omnes fingamus, nimirum & plebem optimam, & paucorum imperium optimum, & dominationem vnius optimam: affirmo tamen, hunc ſtatum cæteris longiſsimè antecellere. Neq; enim vno viro, qui optimus ſit, quicquam videatur præſtabilius: quandoquidem ille, ſi hac mente præditus ſit, ſine vlla reprehenſione multitudinem gubernare poteſt: & conſultationes ea ratione ad inimicos vel maximè reticeri ac celari queunt. In ſtatu verò paucorum, cum multi ſtudeant optimè promereri de Repub. ſolent inde acerrima odia priuata inter eos cooriri. Cum enim quilibet illorum præcipuus eſſe, & in dicendis ſententijs palmam obtinere cupiat, ingentibus tandem odijs in ſeſe mutuò deflagrant: ex odijs autem ſeditiones oriuntur, ex ſeditionibus cædes, à cædibus ad unius imperium deuenitur. Atq; ita etiam inde patet, quanto hæc ſit cæteris formis Rerumpub. præſtantior. Rurſum cum plebs dominatur, fieri non poteſt, quin malitia exoriatur, quæ ſimul atq; in Reſpub. peruaſit, non quidem odia inter improbos exiſtunt, ſed magnæ conſpirationes. Qui enim exitium Reipub. moliuntur, occultè illud faciunt, idq́; eouſq;, donec aliquis plebi præpoſitus, tales homines compeſcat. Qui etiam hac de cauſa admirationem apud plebem conſequitur, eamq́ conſecutus iam tunc

Monarcha uidetur eſſe, declarans hoc modo etiam ipſe, Monarchiam optimum imperium eſſe. Atq; ut vno uerbo comprehendam omnia, unde quæſo nobis & cuius beneficio libertas acquiſita eſt? num à plebe, aut ſtatu paucorum, an uerò ab illo qui ſolus rerum potiretur? Quamobrem ſic ſentio, cum per vnum virum in libertatem ſimus vindicati, nos talem gubernationis formam retenturos eſſe, non abolentes prætereà leges patrias, quæ bonæ ſunt. Id enim nullo modo conſultum nobis fuerit.

Hæ igitur tres ſententiæ propoſitæ fuerunt, quarum vltimæ reliqui quatuor è Septem viris aſſenſerunt. Otanes autem, qui iuris æquabilitatem apud Perſas ſtudebat introducere, cùm cæterorum calculis ſua uicta eſſet ſententia, hiſce verbis, in medium procedens, eos allocutus eſt.

Quandoquidem apparet, Viri coniuratores, oportere vnum aliquem è nobis regem fieri, ſiue ſortitò eum elegerimus, ſiue multitudini Perſarum liberam electionem permiſerimus, ſiue alia quacunq; ratione: nolim equidem in certamen vobiſcum deſcendere. Nam nec imperare volo, nec aliorum imperio ſubiacere, ſed hac conditione de iure imperij cedo, quòd nolim à quoquam ex vobis neq; mihi, neq; poſteris meis in infinitum vſq; imperarj. Hæc cum dixiſſet Otanes, reliqui ſex viri orationi eius acquieuêre, ipſe autem è medio ſurgens, in certamen cum illis de regio diademate non venit.

FINIS.

